

**Comparatio inter forcipes, Levretianam, Smellianam, Leakianam et  
Johnsonianam ... / [Karl Wenzel].**

**Contributors**

Wenzel, Karl, 1769-1827.  
Johannes Gutenberg-Universität.

**Publication/Creation**

Moguntiae : Apud Andream Crass, [1791]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/kc945d88>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

J.XXII 181/W 52656/P

COMPARATIO  
INTER  
FORCIPES, LEVRETIANAM,  
SMELLIANAM, LEAKIANAM  
ET  
JOHNSONIANAM.

---

DISSERTATIO INAUGURALIS  
QUAM  
ILLUSTRIS MEDICORUM ORDINIS  
CONSENSU  
PRO OBTINENDIS  
SUMMIS IN MEDICINA ET CHI-  
RURGIA HONORIBUS

PROPONIT  
AUTHOR  
CAROLUS WENZELL

MOGONUS.

*Augusti*

DIE 2. ~~Augusti~~ MDCCXCI.

---

MOGUNTIÆ,

EX TYPOGRAPHIA ELECTOR. ACADEM. PRIVIL.  
APUD ANDREAM GRASS.

12 A 14500

V I R O  
FAMA, MERITIS, ERUDITIONE  
CELEBERRIMO  
PERILLUSTRI  
JOANNI PETRO  
WEIDMANN  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE  
DOCTORI

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI ARCHIEPISCOPI ET  
PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO AU-  
LICO ET ARCHIATRO, CHIRURGIÆ ET ARTIS OBSTE-  
TRICIAE PROFESSORI PUBLICO ET ORDINARIO, FA-  
CULTATIS MEDICÆ ASSESSORI ET NOSOCOMII AD  
ST. ROCHUM IN CHIRURGICIS DIRECTORI,

PRÆCEPTORI ET FAUTORI SUMMO  
AMANTISSIMO

**PERPETUUM PIETATIS SUMMÆ AC GRATITUDINIS  
MONUMENTUM**

**OFFERT**

**CAROLUS WENZELL.**

**G**rave est, repudiare propositum;  
cui favet humanitas & amor &  
gratitudinis officium.

Talia in mente agitabam, **VIR**  
**ILLUSTRISSIME**, dum in conscriben-  
dis hisce pagellis insigne nomen  
**TUUM** iis præfigere optarem, me-  
que retardare jussit operis exi-  
guitas.

**At**

At, quod favens mos ab antiquitate profectum talibus impo-  
suit primitiis pretium , quodque  
TUA in me semper singularis be-  
nevolentia augere non cessabit ,  
de novo erexit animum, ad eas  
TIBI sacras reddendas.

Accipe ergo in monumentum  
pietatis, reverentiæ & gratitudi-  
nis

nis summæ pro iis per triennium  
in me collatis beneficiis plurimis,  
summis & specialis benevolentiae  
documentis; preium illis, qua-  
lecumque etiam sit, impone, ut fi-  
ne, in quem a me scriptæ sunt, non  
careant. Sic & mihi sperare licet,  
Tuo sub patrocinio ab hostilibus  
armis, quibus usque huc non  
immunes erant, tutas fore.

Va-

Vale Præceptor amantissime  
& me imposterum amare perge,  
id enim unicum in votis supereft.

Vale.

---

*Lectori S.*

*D*e Cyphosi in dissertatione mea inaugurali  
quædam proponere jam dudum mihi animus  
erat , cum præter ea , quæ celeber . POTT de  
hoc reliquit morbo , parum nobis innotescat ,  
Et accuratior morbi descriptio non solum , sed  
Et symptomatum illius nos adhucdum fugiunt .  
Verum dum exarata hac materia , opus dis-  
sertationis limites longe superaret , quam pro-  
xime de hac observationes meas mandabo typis .  
Disquisitionem forcipum obstetricatarium aliqua-  
rum exorsus sum , cum huic Et varia nova Et  
obstetricatori utilia inesse censuerim .

• 100 •

*Re-*

*Recentiorum obstetricatorum forcipes &  
tales felegi, quæ in usum adhuc vocantur, quo-  
niā veterum ferramentorum tentamen magis  
ad historiam forcipum generalem pertinet.*

*Cæterum animum magis ad rei disquisitionem  
accuratiorem, quam linguae elegantiam applicavi.  
Incomtiori stylo, si illam igitur invenies, LEC-  
TOR BENEVOLE, minusque eruditam, parcas  
quæfo.*

---

COM-

---

## COMPARATIO

INTER

FORCIPES, LEVRETIANAM, SMEL-  
LIANAM, LEAKIANAM ET JOHN-  
SONIANAM.

---

### §. I.

#### SCOPUS DISSERTATIONIS.

Tradendo forcipum historiam perfectam, primæ ejus inventionis & successivæ emendationis, haud ostendere conabor, inventum LEVRETIANUM omnibus ante illum notis, eripere palinam; partim enim hæc nota sunt, partim de his non agam, quoniam intentioni meæ non respondent, postremo ingratum forsan suscipere opus, cum, qui forcipis historiam, naturam ipsam & ejusdem applicationem noscit,

A ipse-

ipsumet quin definiat non hæsitabit, instrumento LEVRETIANO nos forcipe donatos fuisse, quacum veterum ferramenta nullo comparari possunt modo. a) Descriptionem accuratiorem hujus instrumenti utique omnibus notam & a cl. STEIN b) jam dum nobis traditam, etiam præteribo.

Comparationem solum inter SMELLIANAM, LEAKIANAM & nupperrime magnopere laudatam JOHNSONIANAM instituam & quam illarum alteris anteponendam esse censem, ostendam.

Id-

---

a) Historia forcipum perfecta adhuc desideratur, erit hoc negotium viri, qui experientia duce ad leges mechanicas disquisitionem rigorosam instituet ; incompletam earum historiam inter alios HOFFMANNO debemus, qui dissertationem suam inauguralem : "De forcipe SMELLII in praxi obstetricia anteponenda vesti ROONHUSIANO Grœningæ 1766., cum illa exorsus est.

b) De mechanismo & præstantia forcipis LEVRETIANÆ Casellis 1766,

Idcirco vero negotium hoc in me suscep*i*, quoniam duo laudati viri KÜHN *c)*  
& GEHLER *d)* nuper operam dederunt,  
præstantiam forcipis JOHNSONIANÆ præ  
LEVRETIANA & SMELLIANA demonstrandi;  
demonstrationes vero illorum meæ non  
satisfecerunt exspectationi. Altera sui-  
cepti negotii ratio hæc est, quoniam quæ-  
stio magni mihi momenti esse videbatur.

Eo libentius opus aggressus sum,  
dum in nosodochio nostro occasio mi-  
hi minime defuit, sed sæpius ab illustr.  
Dno consiliario WEIDMANN Præceptore  
summo amantissimo in arte nostra felicissi-  
mo forcipis applicationem videre licuit.

Ex-

---

*a)* De forcipibus obstetriciis recens inventis Lip-  
siæ 1783. 4.

*b)* De forcipis JOHNSONIANÆ præ LEVRETIANA  
& SMELLIANA præstantia Lipsiæ 1790. 4.

Experientia igitur edoctus , quæ ut mihi videtur , ad dijudicandam quæstionem , quam maxime necessaria est , propositam finire aggredior.

§. II.

**PROPRIETATES FORCIPIS OPTIMÆ GENERALES.**

Ut forceps ad præscriptum finem quam optime perducat , sequentia requiruntur ,

- 1) Ut figuræ pelvis sit accommodatissima.
- 2) Ut facile & citra parturientis dolores in genitalia immitti & ad fœtus caput applicari ,
- 3) Ut caput tuto in sinu illius contineri & quantum necessitas requirit comprimi ,
- 4) Ut bene dirigi & absque magna vi fœtus caput protrahi illius ope possit.
- 5) Ut

- 5) Ut in extractione fœtus nullo modo genitalia offendat.
- 6) Ut in omni casu , ubi necessitas illius requirit applicationem , sit idonea.

Merito igitur imprimis variæ forcipis partes inquirendæ sunt; manubria putem, conjungendi modus, brachia, longitudo instrumenti, & quid denique a conjunctione harum partium exspectari possit, videamus.

### §. III.

## MANUBRIA.

Essentiales fane instrumenti partes, duas habent in forcipibus supra laudatis varietates : illa LEVRETI proportionem ad instrumentum ipsum habent majorem, quam reliquarum forcipum manubria, plane sunt metallica & inferius ad unci formam recurvata. Commodum hujus in-

---

curvationis partim in eo est, ut manus operatoris punctum habeat fixum & eo majori cum successu in foetum agere possit, partim ut in ipsa capitis extractione instrumentum manu hic applicata melius dirigere valeat; postremo in inclavatione clunium infantis haecce manubriorum incurvations uncinorum loco ad inguina ejus jamjam applicatae sunt.

Nihil certius tali in casu uncinos **BURDONIANOS** sive **SMELLIANOS**, sive illos, quos Dnus OSTERTAG obstetricator argentinensis ad curvaturam sacri fieri jussit, hoc in casu preferendos esse. Sed obstetricator subin ex improviso his destitutus, iis cum successu utitur.

**JOHNSONIANÆ** forcipis manubria ex ligno confecta sunt, ita tamen ut styli chalibei cum forcipe continui, haecce manubria transeant & firmiter forcipi annexantur. Maxime cum **SMELLIANÆ** & **LEAKIANÆ** forcipis manubrijs convenient, & in eo quidem similia inter se prehenduntur, quod

pro-

proportionem multo minorem ad brachia,  
quam in LEVRETIANA habeant.

Si ad regulas mechanicas respexeris,  
certum equidem est, vectem eo minori vi  
in corpus agere, quo propinquior vis  
agens hypomochlio adjacet, sicque cer-  
tum erit, forcipem JOHNSONIANAM &  
SMELLIANAM multo minori vi LEVRETIANA  
caput infantis comprimere. Verum &  
hoc in obstetricatoris experti manibus  
nullum erit omnino commodum. In-  
dicationes ad applicationem forcipis,  
quantum ego scio, maxime tales sunt, ut  
certum capitis compressionis gradum exi-  
gant, quem gradum obstetricator ipsem et  
pro necessitate exhibebit; si ergo caput  
linearum aliquarum spatio comprimitur,  
haecce compressio infantili capiti nullo  
modo erit perniciosa,

1) quia nimis parva est, ut damnum  
ex ea oriri possit, natura enim ipsa in  
partu naturali caput ad minus spatum  
comprimit.

2) Quia compressio non semper

manet, sed tum duntaxat incipit, dum operator ad protrahendas foetus partes vim applicat, si non operatur, forcipis iterum relaxantur brachia & nulla vi caput comprimitur, sed mobilis in forcipis sinu intus jacet. Nunquam suaferrim, tamdiu cum forcipe agere, donec infantis caput protractum sit.

Magni sane ponderis hic est consilium ill. Praeceptoris WEIDMANNI, etiam tum tramiti naturae exakte insistendi, si ea, quae propriis viribus frustra ad finem perducere tentat, nos instrumentorum operatione moveamus. LEVRETI circa actionem cum forcipe regula in eo quidem & consistit, ut extractionem capitis in tria distinguamus tempora & quidem primo intervallo caput deorsum, deinde horizontaliter, & tum sursum trahendum esse, e)

ve-

---

e) Vid. LEVRET Wahrnehmungen von den Ursachen und Zufallen vieler schweren Geburten, herausgegeben von D. WALBAUM, Lübek und Altona 1761. p. 193. & 94.

verum absolute non commendat in certis temporis spatiis omnino non cum forcipe agendum, neque extrahendum caput neque comprimendum.

Et tum quando indicationes urgentes, quales sunt convulsiones & hæmorrhagiæ, forcipis requirunt applicationem, & tum dico optimo cum successu certa distinguntur intervalla, in quorum decursu forceps omnino non agit. Si vero indicationes minus sunt urgentes, ut id plurimum occurrit, hæc intervalla sæpius repetenda.

Minus recte igitur sequimur consilium eorum, qui suadent manubria instrumenti, facta ad caput appositione, ligatura firmissime conjungenda esse, quoniam infantis caput semper eadem vi non absque damno comprimitur.

3) Experientia docet forcipem compressione sua infanti solum tum damno esse, si quis imperitus nimium & absque ullo

ullo dato intervallo caput comprimat; peritis nunquam hoc continget.

Necessitas interea subinde majorem compressionis gradum requirit, absque fœtus damno, si pelvis nimis angusta, fœtus mortuus, angustia vero pelvis eo tantum gradu, ut a forcipe auxilium sit exspectandum. Hoc in casu a compressione capitatis omnino nihil timendum est, imo majori cum vi hic in fœtum omni modo agere debemus, ne forceps a capite degliscat (quod experientia testante facillime post mortem fœtus fieri adfolet) & repetitam applicationem requirat.

Præstantia forcipis JOHNSONIANÆ a sua brevitate desumpta, quæ in eo consistit quod facilius oculis parturientis abscondi possit, sane nulla mihi videtur, dum illusio, nullum adesse instrumentum, mox cesset, ubi brachium in genitalia immittere incipit obstetricator.

Si quis crediderit uncos in fine manus

nubriorum forcipis **LEVRETIANÆ** commoda omnia habere, quæ jam supra indicavi, certe is minime decipitur; commodum vero illud in forcipe **JOHNSONIANA** nullo modo acquirendum; et si quemadmodum D. GEHLER *f)* vult digitum indicem in angulum forcipis, qui mox supra juncturam cochlearium oritur, immiseris. Nam si eadem vi operator hic in fœtum agere velit, ac cum forcipe **LEVRETIANA** id inferius manu ad uncos applicata fieri potest; digitus hic adpositus majorem vim exercere debet, quam manus tota, inferius in fine manubrii forcipis **LEVRETIANÆ** collocata. Secundum regulas mechanicas id est certissimum, docent enim illæ, eo majorem vim necessariam esse, quo propior vis est resistentiæ & vice versa, eo minorem, quo major distantia virium a resistentia & hypomochlio, ut ergo in utrisque forcipibus iidem producantur motus, necessario potentia multo

ma-

major in forcipe JOHNSONIANA , quam in LEVRETIANA erit adhibenda. Deinde si etiam digitus index juxta D. GEHLER præceptum collocatus fuerit , forcipis brachia illico a se invicem recedunt , quando deorsum digitus agat.

Si quid revera ad commodiorem manus situm in forcipe JOHNSONIANA emendare quis cogitet , in eo confisteret , ut manubria prope cochlearium conjunctionem in uncos incurvarentur , & sic index & annularis situm suum invenirent , digitorum vero medius in angulum mox supra juncturam ortum ponendus esset . Verum facta etiam hac manubrii correctione major tamen semper requiritur vis ad movendum caput in forcipe JOHNSONIANA quam LEVRETIANA , uti superius jamjam demonstratum est.

#### §. IV.

#### CONJUNGENDI MODUS

In omnibus hactenus usitatis forcipibus duo conjungendi cochlearia obser-  
van-

vantur modi; vel enim brachia tam arte invicem necuntur, ut nullo a se recedere possint modo, prout in forcipe **LEVRETIANA** patet, ubi clavis ope quam firmissime brachia inter se conjuncta sunt; vel brachia in incisuras plus vel minus ad finem manubriorum excisas recipiuntur, ita ut facile a se recedere & iterum conjungi possint: hic conjungendi modus omnibus communis est forcipibus anglicanis. Firmitas hujus juncturæ dependet ab eo, num incisuræ, quæ ad excipienda brachia constitutæ sunt, maiorem vel minorem habeant profunditatem.

**JOHNSON** cochlearia jungendi modum egregie sane emendavit, & correctio sua neque in forcipibus **SMELLIANIS**, neque in illa **ORMII**, nec in **LEAKIANA** observatur; adsecutus est eam, partim, quod incisuram multo profundiorem effecerit, partim quod cochlear unum, quod finistrorum situm & ad excipiendum alterum destinatum est, a junctura valde ascendet

dat & crassiore lamina gaudeat, donec curvatura rami anterioris incipit, sic quasi per planum inclinatum in incisuram delatum brachium alterum, justo altius ex illa ascendere nequit.

Interea duobus adhucdum modis eundem scopum in forcipe JOHNSONIANA melius acquirere possumus, ita quidem, ut nullo amplius modo cochlearia a se invicem recedere possint: 1) nempe si manubria usque eo, ubi curvatura brachiorum incipit (non autem & simul brachia uti JOHNSONIUS putat) corio obducantur, sic frictio non solum fit major, sed & spatium in incisura imminuitur. 2) Si cochlear superius situm semper manu dextra, deorsum prematur, inferius vero altera, sinistra scilicet, sursum, sic manubria in suo conjunctionis loco firmissime retinentur.

Melius hac ratione propositum nostrum adipiscimur, quam si forcipis cochlearia eo in loco, ubi incisuræ notantur ligatura aliqua firma copulentur, quoniam

niam sic & commodum omnino amittimus cochlearia relaxandi & sic una eademque vi caput continuo comprimitur.

Non negandum est, forcipem **LEVETIANAM** ob suum proprium conjungendi modum majora habere incommoda, quam illa **JOHNSONII** aut aliorum Anglicorum ; paucas tantum si exceperis capitales positiones , (quæ pro consilio **D. BAUDELOQUE** forcipem semper ad capitales partes laterales applicandi distinctæ sunt,) brachium masculinum primo semper immitti & ad caput adipicari, deinde utrumque cochlear ad certum definitumque punctum in genitalia diduci debet; alias forceps nullo conjungi potest modo. Obstetricatori juveni & inexperto magno fine dubio id erit oneri. g) Difficultates vero

---

g) Incommode hoc quo cochlear forcipis utrumque ad certum punctum in genitalia immitti debet, optime annotavit **LEVRETUS** in for-

vero cessabunt, si repetita forcipis applicatione certus invaleat habitus.

Si vero & ad forcipem JOHNSONIANAM respexeris, non multo minora fere offendunt incommoda, conjungendi cochlearia; ad minimum cochlear alterum non multo altius in uterum imitti potest, quin oriatur difficultates jungendi ferramentum, quoniam curvatura brachicrum prope conjunctionis locum impedit, quo minus forcipe bene utamur, si non conjuncta sit.

In forcipe SMELLIANA haec aliter se habent; cochlearia enim etsi inaequaliter etiam immittuntur, attamen forcipis actionem non ita impediunt; sed

bra-

---

forcipibus ante illum usitatis. In prima idcirco ejus forcipe obstetricia axin ejusdem ita instruxit, ut cochlearia etiam inaequaliter immissa tamen conjungi possint, vocat hanc forcipem (a axe ambulante).

brachia post nexus tam parum firmitatis habent, ut necessario fune conjungi debeant, ubi firmitas cochlearium in obstetricatoris votis sunt. h) Inquisituris vero ulterius mox elucefcet, inæqualein cochlearium positionem infantis capiti maximo esse posse damno; quoniam inæqualiter illud prehenditur, comprimitur vel saltem axis capitinis longa sinu forcipis non continetur, quod tamen requiritur.

Quam primum ergo iteratis LEVRE-TIANÆ forcipis applicationibus habitum sumus acquisiti (& exercitium quodlibet instrumentum, cuius usus nobis arridet, requirit) æqualis positio & junctura brachiorum nullo amplius modo nos gravabit.

---

h) De SMELLIANA forcipe, quæ diximus, plus minusve, & de aliis supra indicatis, ubi nempe eundem conjungendi modum invenimus, valent, quoniam brachia hic non ita instruēta sunt, ut juncturam firmiorem reddant.

B

bit. Quodlibet tum commodum nobis erit exspectandum , quodcunque ex immobili brachiorum junctura exspectari potest.

§. V.  
COCHLEARIA.

Veteres de variis quidem instrumentis commendarunt , atque ea in arte obstetricia adhibuere; talia vero non usurparunt, quibus fœtus vivus protrahetur. Si historiæ fides sit, ad AMBROSIUM PARÆUM usque, vivis infantibus conservandis in universum omnino impares erant, sed mortuos aut frustulatim dissecatos utero materno liberavere , ad perforationem capitis statim recurrerunt , & de vita fœtus conclamatum erat.

Secunda equidem non exigua forcipum emendatio , quæ uti jam dixi abAMBROSIOPARÆO facta , in eo consistit, ut forceps vitæ fœtus minime sit noxia. Interea forcipis forma obstetricatoribus tanta de novo creavit impedimenta, ut sæpius quidem vivente adhuc fœtu, partum ab-

absolverint, excerebratione, adhucdum tam  
en vitam foetus matris vitae saepius obtu-  
serint. Forcipes partim erant ineptiores,  
partim ob formam figuræ pelvis non re-  
spondentem inapplicabiles, a recta enim  
linea non declinabant.

**L**EVR ETO erat asservatum (uti omnes  
hodie obstetricatores consentiunt, angl-  
canos si forsan exceperis) figuram forci-  
pis illi pelvis exakte accommodare, & per-  
fectissimum fane sic creare instrumentum,  
quo hodiedum excerebratio, operatio fie-  
bat satis rara.

Inventa nova forcipis curvatura quis-  
que illam in sua imitabatur forcipe, re-  
vera enim nihil emendabatur, & exigui mo-  
menti additamenta, omnia erant discrini-  
mina inter LEVRETIANAM & novam ab au-  
thore quodam inventam forcipem, aliqua  
illorum majoris momenti, aliqua minimi,  
aliqua imo pene tota perniciosa. De su-  
perioribus postea quid differendi occasio  
non deficiet.

Cochlearia forcipis LEVRETIANÆ manubriis longiora , non ita procul a conjunctionis loco incurvari incipiunt ; hæc incurvatio ad crura ejus anteriora eo major fit, quo propius brachia ad finem pertingunt. Quodlibet cochlear fenestratum reperitur , cuius prærogativum essentialie in eo situm est, quod capiti arctius adhæreat, quin in tot punctis simul contingat, & instrumentum ipsum data eadem longitudine minus sit ponderosum , subinde forsan & ad servandas quasdam fœtus partes inservire potest.

In interna superficie cochlearia leviter excavata seu depressa sunt , quo fit, ut eo accuratius forceps & arctius simul capiti incumbat infantis.

Investigamus nunc & aliorum forcipum emendationes ad curvaturam novam LEVRETI factas , ut tandem ad ea veniamus , quæ JOHNSONIUS hac in re præstiterit. Omnes enim , quæ circa cochlearia factæ sunt mutationes , hic recensere non mei est instituti.

SMEL-

**SMELLIE** i) forcipis suæ cochlearia ad novam **LEVRETI** curvaturam inflecti jussit; manubria vero aperte rationem ad instrumenti longitudinem habent minorem, fenestrata quidem & ipsa inveniuntur, differentia tamen occurrit, cum fenestræ superius latiores sint, quam in **LEVRETIANA** & acuto inferius terminentur angulo. Ductu spirali cochlearia investiuntur corio.

Fossa, quæ in interiore forcipis facie quemadmodum in **LEVRETIANA** conspicienda obvenit, in eo differt ab illa, cum quodlibet forcipis crus ab uno latere ad alterum sit excavatum, & adeo acuta linea quemadmodum illa **LEVRETI** non finitur. Interea cochlearium pelliculatione non solum fenestræ magis obturantur, sed & fossa illa plane evanescit.

In

---

i) Si de forcipe **SMELLIANA** verba faciam emendatam intelligo; prima enim vel recta ejusdem ad disquisitionem propositam non pertinet.

In forcipe LEAKIANA k) cochlearia minora , quam in antecedentibus reperiuntur. Curvatura ad anteriorem ejus superficiem major & fenestræ superius adhuc latiores sunt. Fossam in interiore ejus superficie non invenimus , eundem vero in finem , ut videtur , superficies brachiorum interna lima rasa est , & sic asperior reddit.

Brachio forcipis JOHNSONIANÆ in quatuordecim partes æquales diviso , manubrii longitudo sex , cochlearis vero octo comprehendetur partibus. Nova LEVRETI curvatura & hic applicata illo tantum cum discrimine , quod curvatura multo sit major , quam in forcipe LEVRETIANA ,  
præ-

---

k) Proprie est forceps tribrachialis , verum si tertium brachium relinquitur , quod omnino non arcte cum instrumento cohæret , tanquam forceps bibrachialis , usui esse potest. Descriptionem hujus instrumenti accuratiorem dedit auctor in ejus "Lecture introductory to the Theory and practice of midwifery , London 1773. 4.

præsertim in superiore ejus parte, & quod cochlearis ramus anterior multo magis quam posterior curvatus sit, sic, ut curvatura rami anterioris, si circulo comparatur, sit pene æqualis segmento, cuius radius, 2<sup>11</sup> 3<sup>111</sup> metitur. Curvatura vero in forcipe LEVRETIANA æqualis est segmento circuli, cuius radius longior duodecim lineis est. 1)

Curvatura rami posterioris illius anteriori fere est proportionalis. Interea novissima adhuc curvatura forcipem suam JOHNSONIUS locupletavit, cochlearia scilicet

1) Exactissime quidem hic ratio seu mensura curvaturæ non indicata est, cum curvaturam forcipum tanquam elypsin considerare oportet, & arcus descripti magnitudo sic est determinanda. Sufficit interim mihi hæc curvaturæ forcipis cum circulo comparatio, quoniam luculenter ex ea apparet forcipis JOHNSONIANÆ curvaturam multo illa LEVRETIANA esse majorem.

cet non, uti in cæteris forcipibus fieri solet, facta curvatura recta in conjunctionis locum transeunt, sed de novo iterum antrorsum & sursum extolluntur & denique conjuguntur.

Cochlearia ratione longitudinis latiora sunt, sic & fenestræ latiores, præser-tim in superiore forcipis extremitate cochlearium superficies interior neque fossa excavata, neque asperior lima reddita, sed plana & polita reperitur.

Hæc sunt, quæ forceps JOHNSONIANA præ ceteris propria habet. Exactiorem hujus instrumenti descriptionem auctor nobis reliquit. m)

Mensuram jam partium usque huc consideratarum adjiciam, partim ut magis elucent, quæ dicta sunt, partim ut adhuc dicenda fiant clariora.

## §. VI.

---

m) A new system of Midwifery in four parts ; founded on practical observations. London 1769, Tab. II.

## §. VI.

MENSURA PARTIUM FORCIPUM  
CONSIDERATARUM.

A LEVRETIANA incipiam & tum ad  
alias progrediar.

Longitudo totius instrumenti 15 3<sup>'''</sup>

manubrii 6 6<sup>'''</sup>

cochlearium 8 3<sup>'''</sup>

Latitudo maxima fenestræ 9<sup>'''</sup>

sinus 2 2½<sup>'''</sup>

Curvatura maxima anterioris rami 9<sup>'''</sup>

posterioris 2 n)

In

n) Forcipum curvaturam ita determinavi, a superiore nempe cochlearis apice ad axin ejus lineam duxi rectam, cui alteram a summa curvatura inceptam perpendiculariter impo-sui, & sic etiam rami exterioris curvaturam inveni.

## In SMELLIANA forcipe

Longitudo totius iustrumenti 10 " 4

manubrii " " 3 7

cochlearium 6 " 8

Latitudo maxima fenestræ " 6

sinus " " 2 3

Curvatura maxima rami anterioris 1 " 1

posterioris 1 " 9.

## In LEAKIANA forcipe

Longitudo totius instrumenti 12 " 10

munubrii " " 5 5

cochlearium 7 " 5

Latitudo maxima fenestræ 1 "  $\frac{1}{2}$

sinus " " 2 3

Curvatura maxima rami anterioris " 9

posterioris 1 " 9

In

In JOHNSONIANA forcipe'

Longitudo totius instrumenti 10" 3"

manubriorum 4" 1"

cochlearium 6" 3"

Latitudo maxima fenestræ 8"

sinus 2" 3"

Curvatura maxima rami anterioris "

posterioris 2" 2"

Curvatura nova ante conjunctionis

locum 3"

Prolata jam mensura partium consideratarum forcipes ipsas quisque ad varias partium proportiones ordinabit, & ubi regulis mechanicis propiores accidunt, notabit, cum quoad longitudinem totius instrumenti, manubriorum & cochlearium superius indicatæ fuerint.

Latitudinem fenestrarum quod attinet, latissimas habet LEAKIANA, interea & crura

crura brachiorum in hac forcipe sunt minus latiora, idcirco forsan instrumentum hoc cæteris anteponendum, si spectemus commodum harum partium minime esse exiguum.

Sinum latissimum habita longitudinis instrumenti ratione JOHNSONIANA habet, sequitur tunc LEAKIANA, SMELLIANA, postremo LEVRETIANA. Duarum priorum forcipum sinus latitudo maxima pene in medio vel ut in LEAKIANA etiam infra medium invenitur.

Emolumentum majoris fenestrarum & sinuum latitudinis in eo consistit :

1) Caput majori in ambitu comprimitur, compressio infantilis capitis minus idcirco nocebit.

2) Quamquam, ut modo vidimus, caput majori in spatio & majori vi comprimitur, hæc compressio, quoniam in superficie capitis majore partita est, minus nocet.

3)

- 3) Ex mechanismo harum partium sequitur, caput firmius teneri & extrahi posse.
- 4) Forceps non adeo facile a capite degliscit & repetita adplicatio evitatur.

Ut melius vero de forcipum curvaturis judicare valeamus & vel curvaturæ majoris commodum pateat vel damnum, primo sacrum, deinde os coccygis fœmineum spectanda sunt.

### §. VII.

## OS SACRUM ET COCCYGIS FOEMINEUM.

Offa hæc, præcipue vero sacrum pro individuorum diverfitate valde variant, verum hæc disquisitio huc non pertinet. Quod ad nos hic spectat, duas in illo cernimus curvaturas; excavatum enim est a latere uno ad alterum; deinde quod maximi est momenti, excurvatum a basi ad apicem usque, si nempe ut pyramidis.

ramidem inveroram os considerare velis. Ultima hæc curvatio sexualem præbet differentiam. Os sacrum fœmineum minus est concavum, magis enim retrorsum cedit, ad tertiam tamen subinde vertebra spuriam rectius decurrit, dein subito incurvatur in priora, uti hoc jam a SABATIER o) et BERTIN p) observatum est. q). Os coccygis in fœminis rectius anterius pergit, & majore in movendo facilitate ac in viris gaudet. r)

CASP. BAUHIN s) ossi coccygis fœmineo quinque ossicula tribuit, masculino vero

---

o) Traité complet d'anatomie Paris 1775. Vol. I.  
pag. 125.

p) Traité d'osteologie Vol. III. pag. 159.

q) AKERMANN dissert. De discrimine sexuum præter genitalia Moguntiæ 1788. §. XLI. & XLII.

r) AKERMANN l. c.

s) Theatrum anatomicum lib. I. Tab. XLI. fig. 8. & 9. pag. 85.

vero tantum quatuor & quanquam cl.  
**BLUMENBACH**) id absque ratione **BAUHINUM** asseruisse suspicatur , observationes ill. Præceptoris **SOEMMERRINGII** u) doceunt, id in fœminis ut plurimum occurrere , ideoque & in eo sexus differentiam confitente , longior itaque in sexu sequiori os coccygis invenitur quam in maribus.

### §. VIII.

## QUÆNAM FORCEPS FIGURÆ PFLVIS SIT ACCOMODATISSIMA.

Ad essentiales forcipis optimæ proprietates pertinet imprimis , ut figuræ pel-

t) Geschichte und Beschreibung der Knochen des menschlichen Körpers , Göttingen 1786. pag. 310. not. \*\*\*

u) In præstantissimo suo opere : Vom Baue des menschlichen Körpers , Erster Theil Knochenlehre Frankfurt am Mayn 1791. pag. 65. & 291.

pelvis & præsertim ossis sacri sit quam accomodatissima.

Præmissa nunc ossium descriptio-  
ne, quorum forma obstetricatori maxi-  
mi momenti esse debet; quænam ergo  
forceps figuræ huic maxime respondeat  
videndum nunc. Re penitus considerata  
hoc esse ferramentum LEVRETIANUM nul-  
lus dubito, & ob eam maxime ut censeo  
causam, quod curvatura successive inci-  
pit & sic terminatur, uti forma ossis sa-  
cri requirit; forcipes SMELLIANA & LEA-  
KIANA proxime LEVRETIANAM, quoad cur-  
vaturam accedunt; JOHNSONIANA vero,  
quæ curvaturam aperte maximam inter  
has habet, in omnibus cochlearium punc-  
tis nimium curvata est, sic ut respectu  
hujus, formæ & curvaturæ sacræ virilis  
quam proxime accedat, quod totum æqua-  
bili concavitate inflectitur. Contrarium  
ergo asserti de ferramento JOHNSONIANO  
scilicet quod figuræ pelvis magis respon-  
deat appareat & minime illi analogum  
esse, demonstratum est.

Recte adnotat ill. STEIN w) de forcipe JOHNSONIANA, illam partim ob cochlearium brevitatem, partim ob nimiam eorum curvaturam nullo pene alio in casu usui esse posse, quam ubi caput in inferiore pelvis cavitate prope exitum vaginalę, forcipe extrahendum sit. Sequitur hoc necessario ex instituta curvaturae ferramenti JOHNSONIANI cum illa sacri comparatione.

De novissima instrumenti JOHNSONIANI curvatura inferius fusius differendi locus erit.

### §. IX.

#### REQUISITUM SECUNDUM.

Alteram forcipis proprietatem in eo consistere supra diximus, quod absque ma-

---

w) Praktische Anleitung zur Geburtshilfe, 3te Auflage, Cassel 1783. pag. 159. §. 579.

magna vi & doloribus parturientis in genitalia immitti , & foetus capiti applicari possit. Proprietatem hanc necessario cum instrumenti forma cohærere , omni caret dubio. Cum forceps cavitatem pelvis intrare , ibique applicari , & quidem secundum fundamentum primarium in adplicatione instrumentorum , ad directionem ossium pelvis & præcipue sacri applicari debeat, forceps illa certe alteri eripiet palmam, quæ figuræ harum partium quam maxime respondet ; cum vero hæc LEVRETIANA sit , & in applicatione illa optima erit.

JOHNSONIANA forceps cum nimium curvata sit , dum in vaginam immittitur , in arcu solito majore moveri debet, huic varia vero uti inferius videbimus & sæpius se offerre possunt incommoda , quibus LEVRETIANA nunquam subjecta est. Hæc perito removere erit difficile , imperito omnino impossibile. Ex diversa instrumentorum respectu pelvis figura ne-  
cel-

cessario sequitur, forcipis applicationem eo magis parturientem male afficere debere, quo magis diversa ejusdem forma a pelvis & quæ ad formam pelvis se accommodant, genitalium figura est: & quænam forceps respectu hujus alteri sit præferenda ex supra dictis clarissime patet. Repetita vero ejusdem instrumenti applicatione habitum quisque acquiret, quo simul errores ejusdem essentiales emendabit & optimo successu instrumento utetur. Impedietur e contra eo magis, quo minus pelvis noscit figuram, imo & applicatio idcirco impossibilis fieri potest, quia instrumenti forma ab illa pelvis maxime distat.

Quo magis caput infantis ab exitu pelvis distat, eo majora cum forcipe JOHNSONIANA erunt impedimenta, quia maxima instrumenti curvatura eam sacri partem occupat, quæ minime concava est,

est , imo fere recta. cl. BAUDELOQUE x) simile vitium in forcipe JOHNSONIANA inventissē videtur , dum ait : obstetricatorum quidam aliquorum pollicum forcipem longiorem fecere , aliis placuit marginem in interiore ejus superficie prominentem planum reddere , alii curvaturam marginis majorem voluerunt , cum primi instrumentum aptius fecissent , alteri forcipis usum difficiliorem , quin imo interdum minus tutiorem effecerunt. Sufficiat hac in re judicium viri expertissimi ; soli enim experientiæ judicium competit.

### §. X.

#### REQUISITUM TERTIUM.

Tertium , quod a forcipe petimus , in eo versatur , ut caput tuto in sinu illius contineatur & quantum necessitas requirit ,

---

x) Anleitung zur Entbindungskunst II. Band herausgegeben von P. F. MEKEL , Leipzig 1783. pag. 31. & 32.

rit, absque magna vi comprimi possit. Applicatæ enim forcipis, princeps regula est, ut diameter capitis longitudinalis sinu forcipis excipiatur. Hac neglecta facile contingit, ut facta etiam majore quam necessitas exigit compressione, caput tamen loco non cedat. Quo in casu compressio perverse in caput agere potest, quin tamen major hæc actio ad producendas foetus partes multum proficeret.

Difficile id, quod a bona tamen requiritur forcipe, erit obtinere in JOHNSONIANA forcipe. Caput enim in ea vel nimium antrorsum jacet, vel nimis retrorsum & in utraque positione diameter longitudinalis sinui forcipis non interjacet, compressio ergo eandem in partem erit nimia capitique infantis noxia. Extremitates porro forcipis JOHNSONIANÆ, eo majori vi caput in loco, ubi adjacent, comprimunt, quippe quæ se arctius invicem tangunt; in LEVRETIANA

contra sex circiter linearum spatio brachia  
in superiore eorundem extremitate a se  
distare solent, si ad normam inventoris  
confecta sit. Ut plurimum vero hoc erit  
vitium forcipis, cuius sinus justo est latior.

Læsio capitis a JOHNSONIANO igitur  
ferramento timenda, & quidem præfer-  
tim ubi diameter capis longitudinalis si-  
nui forcipis non interjacet, si tum forceps  
magis adhuc comprimatur, læsionis peri-  
culum increscit. Vitium tamen hoc plus  
vel minus etiam in SMELLIANA & LEAKIA-  
KIANA occurrere potest. In omnibus in-  
terea forcipibus prima erit obstetricato-  
ris cura, num caput ad diametrum ejus-  
dem longitudinalem comprehensum sit,  
sin minus, operator digitorum duorum  
ope, apertis simul forcipum cochlearibus  
vel antrorum magis vel retrorum caput  
ducere haud desistet.

## §. XI.

## REQUISITUM QUARTUM.

Directio instrumenti in extractione fœtus summo fane sit obstetricatori momento. Absque dubio enim directio, quæ partium innititur structuræ, partum faciliorem, e contra vero, non difficillimum modo reddere, sed & genitalia materna valde offendere potest. Pro capitis positione diversa diversam etiam in extractione illius directionem esse necesse, requiritur. Refert non solum pelvis figuram nosse, sed & naturam & quomodo illa in partu naturali operetur.

Sit e. g. caput in superiore pelvis apertura positum, tunc primo illud deorsum trahendum, in pelvis canali deinde manubria forcipis magis horizontalia tendenda, & quo magis aperturæ pelvis inferiori appropinquat, eo magis sursum trahendum idem, ita ut, cum ex ge-

nitalibus eductum sit, forceps perpendiculariter manui ad perineum applicatæ insistat matrisque ventri incumbat.

Ut assertum clarius elucefcat, capit is in pelvi positiones enarrabo, in quibus applicatio forcipis necessaria fieri potest. Generalissimum tantum adjiciam, cum id mihi sufficiat ad dijudicandam propositam quæftionem. Forcipis applicatio necessaria fieri potest, si caput vel in superioro pelvis apertura, vel in pelvis cavitate, vel prope ad exitum ejus moratur, imo etiam uti cl. BAUDELOQUE y) proponebit, quando caput mobile adhucdum supra aperturam superiorem hæreat. Ultimo in casu, ubi angustia præternaturalis aperturæ pelvis superioris respectu capit is tanta est, ut a forcipe auxilium tuis expeti possit, quam a versione, spatium tantum requiritur, ut cochlearia in-

tro-

---

y) Idem l. c, pag. 83. & seq,

troduci & capiti adplicari possint. Quan-  
quam SMELLIUS jamdum hic forcipis sua-  
serit applicationem , cl. BAUDELOQUE ta-  
men primus fuit, qui descriptione casus  
hujus accuratiore viros in arte obftetri-  
cia peritissimos ad SMELLII consilium at-  
tentiores reddidit, forcipem etiam suam  
idcirco LEVRETIANA longiorem fieri jussit.  
Verum hoc in casu tanta forcipis applica-  
tioni sese objiciunt incommoda , ut viri  
hujus gravissimi consilium non bene sit  
imitandum.

Primo applicatio forcipis ad caput  
adhuc mobile supra pelvis aperturam su-  
periorem situm , difficillima sane est.

Secundo diuturnior cum forcipe erit  
operatio , ex qno summum inflammatio-  
nis genitalium parturientis nascetur peri-  
culum.

Tertio , & citius & tutius tum a ver-  
sione infantis auxilium petendum est.

Si

Si vero ad instrumenta redeamus, patet forcipem LEVRETIANAM & hic reliquis præferendam esse. Cum majoris sit longitudinis & capiti in superiore pelvis regione incuneato optime applicari potest. Illa LEAKII ratione longitudinis LEVRETIANÆ esset postponenda.

SMELLII & JOHNSONII forcipes requirunt, si bene iisdem caput tenere consideremus, minus altiorem ejusdem in pelvi situm.

Curvaturam forcipum, si spectemus & quænam inde illarum optime dirrigi possit, iterum illa LEVRETI palmam arripiet, quod curvatura, pelvis figuræ exacte respondeat; minime vero JOHNSONIANA uti jam supra vidimus.

Manubria forcipum reliquarum ad dirigendum instrumentum minus sunt apta, partim quia nimium sunt brevia, partim uncinnis prorsus carent, quæ singula LEVRETIANAM plurimum commendant.

## §. XII.

## REQUISITUM QUINTUM.

In extractione fœtus a forcipe genitalia offendit non debent. **LEVRETIANÆ** quidem & **SMELLIANÆ** & **LEAKIANÆ** objectur, quod perinei rupturam promoveant. Emendavit hoc vitium **JOHNSONIUS** in forcipe sua, dum ubi brachia committuntur paululum superiora versus curvari jussit, & optima hæc sane est correctio, qua **JOHNSONIUS** forcipem locupletavit. Verum fateor, neque unquam a **LEVRETIANA** forcipe rupturam perinei me vidisse & nunquam (dicere audeo) perinei ruptura applicatam **LEVRETIANAM** forcipem sequetur, si ad pelvis directionem exacte attendamus. Unico tantum in casu perinei ruptura ab instrumento **LEVRETIANO** erit timenda, si caput scilicet uti cl. **BAUDELOQUE** z) suadet, supra aperturam pelvis

---

z) Idem l. e.

vis superiorem situm , ope forcipis arri-  
pere tentamus , manubria & junctura pe-  
rineo nimium propinqua sunt , & cum  
caput hic in aperturam pelvis trahi de-  
beat , directio manubriorum in actione  
posteriora versus necessaria erit ; ab at-  
tritu igitur forcipis jure aliquid timen-  
dum esset , sed jam supra monui hocce in  
casu , ubi BAUDELOQUE instrumenti appli-  
cationem suadet , versionem præferendam  
esse. In reliquis supra enarratis capitibus  
positionibus quæ applicationem forcipis  
requirere possunt , habita directione præ-  
scripta perinei ruptura , ab instrumento  
**LEVRETIANO** nunquam timenda erit.

Interim cum novissimæ curvatu-  
ræ forcipis JOHNSONIANÆ commodum  
negari nullo modo possit , & saltem minus  
peritis applicationem non solum , sed &  
actionem cum instrumento facilitet , Ill.  
Præceptoris WEIDMANNI consilium in  
eo versatur , curvaturam illam & for-  
cipi **LEVRETIANÆ** adponendam esse , reli-  
ctis

Etis cæterum & longitudine & cochlearium curvatura & conjungendi modo. Quam præterea suasit emendationem vir Ill.; in eo est, præstare nempe, si superficies cochlearium interna reddatur plana, ut læsionis fœtus periculum eo certius evitetur.

### §. XVI.

### REQUISITUM SEXTUM.

Postremo forceps illa sine dubio erit optima, quæ in omnibus occasionibus, ubi necessitas illius requirit applicationem, apta invenitur. Ut paucis absolvam, incommoda proponam, quæ applicationi forcipis JOHNSONIANÆ generali obstant; & primo quidem obstat situs capitis in apertura pelvis superiore, partim ob curvaturam ingentem, partim ob instrumenti brevitatem. Secundo situs abdominis obliquus, & in anteriorem partem directus uteri situs, vel ob graviditates, quæ jam præcesserunt, vel ob præsentiam gemel-

Ilorum vel plurium infantum; instrumenti applicatio hic difficillima, quoniam nempe ob curvaturam ejusdem majorem, arcus non solum in introductione major, sed & in extractione describendus est. Tertio forcipis JOHNSONIANÆ introductio adgravatur, si orificium uteri & caput simul nimium in anteriore pelvis parte situm est, quod tamen saepius occurrit, obstaculum hoc in casu iterum a curvatura ponitur. Quarto, applicatio impossibilis omnino redditur, si facta foetus versione caput forcipe extrahendum est, impossibilis dico erit applicatio, si infantis facies curvaturam facri respicit, occiput vero symphisis, quoniam eo in casu infans utero ad caput usque eductus, versus abdomen parturientis tenendus est, & sic arcus in applicatione necessario describendus nullo modo describi potest. Opposito in casu applicatio facilior quidem, incommoda tamen semper sat magna ipsam concomittentur.

Talia

Talia impedimenta in applicatione  
forcipis LEVRETIANÆ non occurrere , &  
curvatura minor , & experientia in omni-  
bus hisce occasionibus docent.

Introductio facilior , seu difficilior re-  
liquarum supra saepius indicatarum forci-  
pum ad curvaturas earum est determi-  
nanda , sufficit mihi impedimenta in JOHN-  
SONIANA forcipe indicasse.

#### §. XIV.

**FORCIPIS APPLICATIO GENERA-  
LIS AD PARTES CAPITIS LATE-  
RALES CERTE PRÆEFERENDA  
EST APPLICATIONI IN PARTES  
PELVIS LATERALES.**

Est hoc hoc consilium cl. BAUDELO-  
QUE (a) quod naturæ etiam quam maxime  
accommodatum reperitur , quanquam ill.  
STEIN (b) manuale hoc perniciosum ap-  
pel-

---

(a) l. c. pag. 61.

(b) l. c. pag. 205. & 206.

pellat, cum ut opinatur theoriæ fallæ de capitis in partu naturali per pelvim defensu innitatur; verum theoriam hanc de descensu capitis & reliquarum infantis partium minime esse falsam, plus quam in ducentis partibus observandi mihi occasio erat. Caput scilicet quando superiorem pelvis intrat aperturam, axis sua longitudinali in diametro pelvis obliquo positum est, in canali vero pelvis, capitis hæc positio ita mutatur, ut facies curvaturam sacri respiciat, occiput vero symphisis, extrusum denique e genitalibus caput primitivam iterum occupat positionem, sic & humeri, truncus & reliquus infans per pelvim transit. Consilium cl. BAUDELOQUE eo tendit, capite nempe in superiori pelvis apertura in prima e. g. positione sito, forcipem ita applicare, ut cochlear masculinum curvaturam sacri intret, fœmineum vero posteriorem symphiseos partem speget, sicque prehensum seu inclusum caput secundum ejusdem directionem per aperturam pelvis superiorem ducendum, in pelvis cavitate vero ope forcipis ita tor-

torquendum esse, ut facies in cavitate sacri sit posita, tandem caput e genitalibus educi & sic in qualicunque casu ad directionem pelvis spectari debere.

Ita ipse ab ill. Præceptore WEIDMANNO forcipem admoveri sæpius observari, & ad directionem pelvis fœtum vita superstite eductum vidi; nullus tamen dubito, quin & in certis occasionibus hæc forcipis applicatio impossibilis fiat.

Quando capit is positio talis est, ut alterum forcipis cochlear in sacri cavitatem immittere requirat, secundum consilium cl. BAUDELOQUE, forceps illa certe cæteris erit præferenda, quæ sinum maximum habet, quoniam tunc curvatura superficie cochlearis externæ curvaturæ facri est accommodatissima. LEVRETIANAM tamen forcipem etiam hic satisfecisse observavi.

### §. XV.

D

## §. XV.

**INVOLUTIO COCHLEARIUM UNI-  
VERSIM NOCET.**

Ad SMELLII exemplum & JOHNSONIUS & alii obstetricatores forcipis cochlearia corio obduxerunt, quin tamen commodum ex hac pelliculatione eveniat, e contra vero multis ansam præbet incommodes; applicationem enim forcipis difficultorem reddit, applicata ob nimiam pellis lubricitatem faciliter degliscit, fenestræ magis obturantur, & vestimentum saepe vel semper, si in usum vocatur, novum requirit, si infectionis periculum evitare velimus.

Reliqua utique satis nota incommoda libens omitto.

Sufficit ostendisse, forcipem LEVRETIANAM dotibus forcipis optimæ generalibus

bus præditam esse, quin tamen SMELLII,  
JOHNSONII & LEAKII forcipes omnino in-  
utiles esse contenderim. Verum enim est,  
quod cl. MEKELIUS (c) monuit, difficul-  
tates reliquarum uisu atque exercitatione  
superare posse.

T A N T U M.

---

(c). In ejus adnotationibus ad BAUDELOQUE An-  
leitung zur Entbindungskunst pag. 32, notæ (s)



